

MARTINI  
BONACINÆ  
MEDIOLANENSIS,  
OPERA OMNIA.



*ex Collegio de la Compagnia de Iesuz de Salamanca*

MARTINI  
BONACINÆ  
MEDIOLANENSIS,  
S. THEOLOGIE, ET I. V. DOCTORIS,  
Comitis Palatini, & Equitis aurati,  
OPERA OMNIA.

SIVE

*Treatatio absolutissima omnium conscientia Casuum, & multorum ad forum externum attinentium,  
ex optimorum quorumcumque Scriptorum, ac praesertim recentiorum de floratione contexta:  
Primum quidem duas in Tomos distributa,*

QUORUM

Prior, { De Sacramentis, Matrimonio, Cepulicis, & Horis Cepulicis.  
Posterior, { De Legibus, Praeceptis Decalogi, & Ecclesiae, Reformatione, & Contractibus.

*Nunc vero omnia in lectiori commodius uno volumine comprehensa, & vario ad hanc diem ab auctore factis  
accessionibus locupletata, diligentique emaculata.*

*Et accurata per ipsam Auctorem recognitione.*



LVGDVNI,  
Sumptibus Antonij Chard, sub signo S. Spiritus.

M. DC. XXXIII

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE DOCTORVM



REVERENDISSIMO AC NOBILISSIMO  
DOMINO D. CAMILLO  
DE NEUVILLE, ABBATI  
ATHANACENSI, ET INSVLÆ

Barbaræ, Comiti de Lagny, &c.

**L**ICET Poëta fulmine supremi numinis dextram armarint,  
ABBAS AMPLISSIME, sui que Iouis solium  
igneo veluti vallo munierint, suam tamen ille securitatem,  
qua imbelles Gigantum minas securus calcas, ascribit sua  
Palladi: Sapientia nimirum, cuius si nobis radius vel per-  
tenuis affulget, etiam in prunis ardentibus suavius quam in  
Melitensi rosa Nero, aut in auro Caligula, nos versamus.

ET quamvis sapientia qualibet pars per se frugifera sit, utilior longè ea sem-  
per habita est, que ad complectendam honestatem voluntatem excitat, quam  
que faciem menti presert ad steriles (ut ita dicam) et infæcundos veritatis com-  
plexus: Divinius qua mores informat, quam qua iudicium vendicat à mendacio.  
Quid Archimedi profuit ad gloriam, agros Hieronis metiri, si non fines eius am-  
bitioni descripsit? Quid Orpheo, carminum musico concentu feras exarmasse im-  
manitate, nisi tumentes animi motus compressit? Docet me stellarum Choras  
et celestium orbium concentus, Astrologia, mallet doceret quomodo animus  
secum sibi consonet: Numerandi tradit rationes Arithmetica, o si digitos non  
commodaret avaritia. Clara sit et æterna philosophia laus et decus: Vna tamen  
est Theologia moralis qua iugum importuna servitutis à nostris cervicibus depellit.

QUAMQUAM sòleo non rarò eius imbecillitatem dolere. Potest siquidem  
quid in quaque re vitij sit, more venatici canis detegere, in ipsam tamen feram  
non valet plerunque dentes eo usque insigere, ut mors consequatur ex vul-  
nere. Magis erubescunt vitia ad pallium Philosophi Christiani, quam ad  
conspectum ipsius probitatis abstracta. Vix summam animi cutem præceptiones  
delibant; exempla quantumlibet obstinati pectoris contumaciam perriumpunt.  
Magis Cleanthes ex Zenonis vita, quam doctrina; plus Plato ex Socratis mo-  
ribus, quam verbis profecit: Metrodorum et Polibum viros magnos, non Epi-  
curo schola, sed contubernium fecit.

QUARE tua plurimum interest, ABBAS NOBILISSIME,

---

I M P R I M A T V R.

FRATER FRANCISCVS CARENVS Lector Theol. Vicarius Rosæ, & Sanctæ  
Inquisitionis Mediolani.

FRATER ALOYSIVS BARIOLA pro Illustrissimo D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro Excellentissimo Senatu.

---

F A C V L T A S.

**O**pera omnia MARTINI BONACINÆ absolutissimam continentia Tractationem casuum conscientiæ à Doctoribus approbata, & olim Mediolani excusa, ut etiam Lugduni imprimantur facultatem concedimus. Lugduni die 18. Martij 1624.

MENARD, V. G. *subst.*

---

A P P R O B A T I O.

**T**ypis dignam dicimus, & ducimus Summam istam Moralis Theologiæ, siue tractatum de Casibus Conscientiæ quam multo labore in multorum commodum collegit Vir doctus & eruditus MARTINVS BONACINA *Mediolanensis Sacra Theologiae & l. V. Doctor.* Probarunt ante nos in suo natali solo ex quo ad nos deriuat, viri graues & fide digni. Actum Lugduni die 19. Martij 1624.

FR. ROBERTVS BERTHELOT, Episc. Damasci.

---

C O N S E N S V S.

**L**ibrum hunc, cui inscriptio est, *Opera omnia MARTINI BONACINÆ Sacerdotis Theologiae Professoris*, iam Mediolani editum, ego Procurator Regius typis mandari, ac demum in lucem exponi consentio. Lugduni 20. Martij 1624.

P V G E T.

---

P E R M I S S I O.

**L**ibrum hunc, qui inscribitur, *Opera omnia MARTINI BONACINÆ Sacerdotis Theologiae Professoris*, iam Mediolani editum, ab ANTONIO CHARD, Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus, ac simul ne quis citra factam ei potestatem de nouo excudat interdiximus. Datum Lugduni die 20. Martij 1624.

DE CHAPONAY.



# TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

## DISPUTATIO PRIMA.

### *De Sacramentis in genere.*

**S**ACRAMENTI Nomen non solum à profanis, verùm etiam ab Ecclesiasticis Scriptoribus variis modis accipitur; aliquando enim accipitur pro secreto, iuxta illud Tobie 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est. Aliquando pro iuramento, cap. si iuramenta. 22. quæst. 4. Aliquando pro mysterio, ad Timotheum 3. Magnum est pietatis Sacramentum, ubi in Græca editione habetur mysterium. Aliquando, & ferè communiter Sacramentum accipitur pro re sacra, ut tradit Bellarminus lib. 1. de Sacramentis, cap. 2. Natarrus in summa cap. 22. num. 1. Valentia tom. 4. disput. 3. quæst. 1. puncto 1. Henriquez lib. 1. cap. 2. num. 1. Didacus Nugez in 3. parte Sancti Thomæ in sua præfatione, significatione 5. Coninchus de Sacramentis in genere quæst. 6. artic. 1. Sayrus de Sacramentis in genere, artic. 1. Vasquez 3. parte quæst. 60. disp. 128. cap. 1. & alij. Sed nos in præsentia accipimus Sacramentum, quatenus significat id, quod à Christo fuit institutum ad conferendam gratiam, de quo nobis sex principaliter quærenda sunt.

- Primo, quid, quæ duplex, & quàm necessarium sit Sacramentum.
- Secundo, quæ sit ipsius materia, & forma.
- Tertio, quæ sit causa efficiens.
- Quarto, quænam sit ipsius effectus.
- Quinto, quodnam sit subiectum.
- Sexto, quo ritu, & ceremoniis administrandum sit.

### QVÆSTIO PRIMA.

#### De numero, necessitate, & definitione Sacramenti.

#### PVNCTVM I

#### Quid sit Sacramentum.

1. Sacramentum quid sit.
2. Sacramentum non est ens rationis.
3. An Sacramentalia sint Sacramenta.
4. Sacramentum vsq; sit an sit Sacramentum.
5. Signum quid sit.
6. An Sacramentum dicatur signum.
7. Sacramentum quomodo dicitur esse signum.
8. An Sacramentum debeat esse signum similitudine repræsentationis, quod significat.
9. Cur Thomæ in signis, & rebus materialibus instituerit Sacramenta.

**P**LURES Sacramenti definitiones assumunt à Doctoribus: nam iuxta Sanctum Augustinum lib. 1. de Civitate, quem sequitur Divus Thomas 5. parte quæst. 60. artic. 2. in corpore. Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 2. nu. 3. Bartholomæus ab Angelo de S. Tract. de Sacramentis.

mentis dialogo 1. §. 2. littera D. Alexander Pefantius 3. parte de Sacramentis disput. 3. conclus. 1. Petrus Ledefina 1. parte semper cap. 1. vers. Prima conclusio Sacramentum definitur rei sacre signum, vel invisibilis gratie visibilis forma.

Iuxta Vgones de Sancto Victore lib. 1. parte 9. cap. 2. Sacramentum est corporale elementum foris sensibilibus propositum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & continens spirituosam gratiam.

Iuxta Magistrum in 4. dist. 1. quem sequitur Grassus 2. parte lib. 1. cap. 1. nu. 7. Vasquez loc. cit. cap. 5. num. 6. & alij apud eundem Vasquez, nec dissentit Alexander Pefantius 3. parte de Sacramentis disput. 3. conclus. est invisibilis gratie, visibilis forma, ita ut imaginem gerat, & causa existat.

Iuxta Catechismum Pij V. de Sacramentis in communi, cui adhæret Bellarminus de Sacramentis lib. 1. cap. 11. Pefantius loc. citato conclus. 3. & alij, Sacramentum est res sensibilis subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet, seu est invisibilis gratie visibilis signum ad nostram justificationem institutum.

Sed omittis variis definitionibus, quas passim Doctores tradunt, hæc ego propono, quæ satis explicare videtur naturam, vim & efficaciam Sacramentorum.

#### VNICA PROPOSITIO.

**S**acramentum est signum Sacrum, non solum significans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem Sacram, sanctificantem homines. Hæc definitio optima est iuxta præcepta Aristotelis 6.